

B. C. D.

DISSERTATIO ACADEMICA,

DE

ANIMALIBUS VECTARIIS,

QUAM

*Suffrag. Ampliſſ. SENATU Philoſ. in Regio ad
Auram Athenæo,*

PRÆSIDE

D:NO **P E T R O**
K A L M,

S. S. Theol. DOCTORE Oecon. PROFESSORE Reg. &
Ord. nec non Reg. Acad. Scient. Holm. & Societ. Lit.
Upſal. MEMBRO.

Publico examini committit

HENRICUS GUST. BORENIUS,

Tavaſtenſis.

In AUDITORIO SUPERIORI Die XX. Junii Anni
MDCCLXXI.

Tempore a. m. conſveto.

A B O Æ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.

S:Æ R:Æ M:TIS

MAXIMÆ FIDEI VIRO

GENERALIS LOCUM TENENTI

GENEROSISSIMO DOMINO

VILHELMO
CARPLAN,

ORDINIS REGII ENSIFERI EQUITI

ET

COMMENDATORI SPLENDIDISSIMO,

MÆCENATI SUMMO

SACRUM.

S:Æ R:Æ M:TIS

MAGNÆ FIDEI VIRO

NOBILISSIMO ATQUE CONSULTISSIMO

DOMINO

NICOLAO
HASSELBOM,

SUPREMI IN MAGNO DUCATU FINLANDIÆ
DICASTERII CONSILIARIO ÆQUISSIMO

MÆCENATI MAGNO.

Opusculum hocce
Dedicat Consecratque

NOBILISSIMI NOMINIS TUI

Cultor devotissimus
HENR. GUST. BORENIUS.

VIRO Plurimum Reverendo atque Præclarissimo,
D: NO ERICO BORENIO,
Ecclesiarum, quæ DEO in Mascu, Rusco & Vahto col-
liguntur, PASTORI meritissimo, vigilantissimo,

PARENTII INDULGENTISSIMO.

Gratissimam & a me diu anxie exoptatam jam arripio
occasionem publice testatum faciendi, quanta animi ve-
neratione Te, Parens Optime, nunquam non prosequor in-
genue fateor, me non quidem valere cogitatione digne com-
plecti, tanto minus verbis enumerare beneficia ista summa,
quæ Tibi nullo non tempore in me conferre placuit; etenim
Tibi post DEUM O. M. & vitæ lumen & quicquid præ-
terea mihi est debeo. Tu memet tanto amplexus es amore,
tantoque nisu felicitatem meam semper promovere voluisti,
quanto unquam filii dilectissimi Pater Indulgentissimus. Li-
cet autem supra vires meas longe omnino positum sit, vel
particulam quandam debiti solvere, humillimus tamen et jam atque
etiam rogo obtestorque velis serena adspicere fronte primum
hocce ingenii mei tirocinium in pignus maxime submissi &
devotissimi animi Tibi dedicatum consecratumque. Cæterum
summum Numen, factorum nostrorum Moderatorem calidissi-
mis nunquam non defatigabo precibus, velit Te, Parens
Optime una cum Matre mea Indulgentissima in annorum se-
riem bene longam omnigena felicitate maectatum conservare,
in Ecclesiæ suæ emolumentum, & omnium quotquot Tui sumus
solatium & fulcrum certissimum ita votet qui usque ad ex-
tremum vitæ balitum permanebit

PARENTIS SUI INDULGENTISSIMI

Filius obedientissimus
HENR. GUST. BORENIUS.



Quamdiu homo omnium a DEO conditorum animalium facile princeps, in statu integritatis permansit, omnis laboris molesti fuit immunis; terram quidem coluit utpote quæ illi alimentum subministraret; hoc vero nihil tædii adduxit, omnia voluptate erant refertissima, omnia confectu facillima. Post lapsum autem Protoplastorum maxime deplorandum res plane aliter se habet, terra quæ paulo ante sua sponte e gremio suo protulit omnia fere, quæ Adamus & ad victum & ad voluptatem desideraret, jam non nisi spinarum & tribulorum erat genetrix, si vero quid boni produceret, assiduus improbusque labor requirebatur, quo non possunt non vires humanæ maximum in modum debilitari atque consumi; neque vero hoc mirum: Iplius enim Summi Legislatoris sententia ea fuit, ut homo in sudore vultus sui ad vitam sustinendam necessaria conquireret. Et profecto a vero non abhorret, reliquias humanarum virium non fuisse pares colendæ terræ a Creatore suo maledictæ, præsertim post diluvium, quod velut residuum ex ea succum expressit, nisi ejus-

cernendi animalia præsto fuissent, quæ servili sua opera nobis potuissent ministrare. Quid vero ex hisce omnibus evincitur, nisi quod bonitas summi Numinis erga nos sit maxima. Prævidit namque DEUS Optimus maximus miserandam plane, immo intolerabilem, fore conditionem humanam, si illi propriis viribus jam valde debilitatis omnis labor fuisset sustinendus; ut igitur huic malo mederetur, vectaria condidit animalia, hoc est talia, quæ in vita communi nobis magno essent usui, suoque robore nostrum supplerent languorem: nec a vero alienum est, si dicamus, imperium illud, quod homo exercet in animalia mansueta & domestica, constituere quasi particulam quandam adhuc residuam istius dominationis, quam summum Numen in prima creatione hominibus in animalia concessit. Et uti DEUS ipse omnis limitis est expers, ita & hujus suæ bonitatis nullos constituit terminos, verum indicia ejus luculentissima per totum terrarum orbem longe lateque diffudit, adeo ut nec nostræ septentrionales regiones ullam habeant ansam de inopia hujuscemodi animalium conquerendi. Immo legimus in Sacris pandectis, jam tempore Mosis Equos Camelos, Boves, Asinos, aliaque ejusmodi animalia, ab hominibus tam in toga quam sago ad varii generis opera præstanda adhibita fuisse. Quis autem primus invenit artem Equos domandi, num Bellerophon, Neptunus, Peletroni Thesaliæ populi, vel alii; num etiam plures? Et quis etiam primus Elefantos, Asinos, Camelos &c. sub jugum misit, incertissimum est; factum certe fuit valde audax & facinus prorsus temerarium, licet utilitatis maximæ. Variæ sunt etiam rationes, quæ frudent usum variorum horum animalium vectariorum jam ante diluvium notum fuisse hominibus; Chineses artem domandi animalia sylvestria tribuunt imperatori Fohi; Equos autem & Boves currui applicandi imperatori

tori Hoang, quorum uterque longe ante tempora Patriarchæ ABRAHAMI vixit, si annalibus Chinenſium fides habenda ſit. Noſtrum vero jam erit proprius ad propoſitum accedere, atque enumerandis animalibus quæ hic ibique locorum ſervili ſuo labore nobis auxilio ſunt operam navare. Innocuis his noſtris conatibus, nec ſuo, ut ſperamus fructu deſtitutis, candidum Lectorem etjam atque etjam rogamus, velit benigna ſua cenſura favere.

§. I.

Equus Caballus ꝯaſt, Omnium primo autem attentioni noſtræ ſubjicimus Equum Caballum, tam quia omnium eſt notiſſimus, quam quia uſus illius toti fuit ac eſt communis orbi ubi perpetuum fere gelu terras non urit; in Pandectis Sacris legimus operam hujus animalis jam tempore Patriarchæ Jacobi in Ægypto vulgarem fuiſſe. Sylveſtres ſunt in omnibus partibus orbis ubi dira hyems non ſævit. Obſervari autem meretur, nullos eorum in America inventos fuiſſe prius quam Europæis cum Americanis aliquid interceſſit commercii. Sed jam etjam ibi plurimis in locis, ubi mitius cœlum, ſylveſtres facti ſunt, licet omnes originem Europæ debeant. Quamvis vero Equi ad variigenæ opera præſtanda ſint maxime idonei, non tamen omnes illorum uno eodemque loco ponendi, alii namque aliis ſunt præſtantioreſ. Equis Teſſaliæ Cappadocum &c. veteres ſummam nobilitatem tribuere; noſtris temporibus Equi Hiſpanorum cæteris Europæ nationum palmam præripere feruntur; quemadmodum e contrario qui Galliæ originem debent longe ſunt deterioreſ. Sed neque Equi quorum copiam alma Patria habet, ſibi invicem virtute & bonitate ſunt æquales, Fennorum enim qui ex mente nonnullorum ex Tataria originem ducunt Syecorum Equis

quis sæpius præstant, ut vel illis ipsis fatentibus usus illorum multipliciter fit insignior.

Bos Taurus. *Orefo.* Inter Jumenta quæ maximam utilitatem terræ colendæ præstant, ut Bovem re feramus necesse est; per totum terrarum orbem quoque est notissimus. Hic socordiam incolarum Americæ non satis taxare possumus, ante adventum Europæorum sylvæ campique partis hujus orbis bubus duplicis speciei scatebant; in maxima copia adhuc ibi reperiuntur, nec minimum tamen laboris per tot secula in iis domandis adhibuerunt, aut etjamnum in primis populi Americæ septentrionalis adhibent; incolæ ipsi pedibus omnia itinera fecerunt, ipsique in agris colendis, oneribus portandis aut vehendis Equorum & bubum vice functi sunt omni. Circa Caput bonæ spei Batavi tauros suos a teneris unguiculis ita asvesecerunt, ut dum trahunt, per magna eant celeritate. Præterea etjam vaccarum usus in variigeneris operibus servilibus multis locis haud est exiguus, in primis in Batavia ubi earum præstantissimæ inveniuntur. Sic quoque notum est antiquos Judeos illas hunc in finem jugo subdidisse. Ex mea quidem mente fieri etjam posset ut almæ nostræ Patriæ pari essent usui si modo illis sustentandis debita adhiberetur cura, hoc vero neglecto mirum non est vaccas nostras multi non esse pretii.

§. II.

Bos Bubalus, Frequens est sylvestris in variis regionibus Asiæ, rarior in Australibus partibus Europæ. Manifestus iisdem operibus, quibus Bos Taurus, inservit. Multus ejus usus in Italia. Non dubito, quin omnes fere species bovis ad eadem opera servilia variis in orbis locis adhibeantur quamvis Peregrinatores sæpi-

us non distinctæ exposuerint de quanam specie illis sermo est.

Equus Asinus. *Asina*. Hocce jumentorum genus jam olim apud Orientales gentes magno usui fuisse Sacra pagina nos dubitare non sinuat; tempore enim Patriarchæ Abrahami asini vulgatissimi fuere. Adhuc hodie usus illorum in Asia, Africa australique Europæ plaga est in signis. Americis ante adventum Europæorum ignoti. Sylvestres inveniuntur copiose in desertis Asiæ & Africæ submitiori cœlo positis. Hispani præsertim eorum virtutem sibi habent cognitam, ideoque etiam illos non solum ad varia opera viliora præstanda adhibent, verum etiam curru jungere non dubitant. Et credunt multi plurimis Sveciæ provinciis melius quoque consuli; si loco Equorum Asinis uterentur, ad onera enim portanda in primis sunt idonei; & præterquam quod labores difficillimos fortiter sustineant, etiam alimentorum generibus vilissimis sunt contenti, nec tot, quot Equi variigenis morbis sunt obnoxii. Sed num frigoris nostri vehementissimi patientes sint non dum extra omnem dubitationis aleam positum est.

Equus Asinus Mulus. *Mulâsina*. Hujus usum iisdem locis ac Equi Asini esse, notum est. Ortum autem suum exinde ducit, quod aut Equi Caballi, Asinarum utantur consuetudine, aut vicissim quod Asini cum Equabus coitum habeant; quamvis itaque hæc animalia velut præternaturæ ordinem producantur, ad opera tamen varii generis servilia præstanda maxime sunt idonea, adeo ut si virtutem usumque eorum spectes, facile ea ipsis Equis Asinis præferenda judicares. Licet vero Muli modo, cujus mentionem injecimus gignantur, ipsi tamen impotentes, sobolem suam propagare non valent; ita visum est summo Numi

ni certos ejuscemodi mixtionis, qua species quædam inter se confunderentur, constituere terminos.

Camelus dromedarius. Camel. Præ cæteris animalibus, quæ hominibus ministerio sunt, Camelus meretur observari; docilitatis enim laude haud contemnenda floret, inprimis autem eo sese mirum quantum commendat, quod in dorso apicem quendam habeat elevatum, quo non possunt non omnes illi uti, qui ad onera portanda ope illius indigent. Ut de locis, ubi hæc animalia inveniuntur, multa commemorem, opus non esse existimo; neminem enim fugit, ea in orientalibus regionibus Asiae nimirum & Africae, semper quasi proprium habuisse domicilium, quod etiam sacrae paginae suo adprobant calculo, simulque tempore Patriarchæ Abrahami & deinceps fuisse insignem usum eorum testantur. Ad onera portanda præcipue adhibentur; raro curru subjunguntur. Maximum usum in itineribus per deserta arenosa & arida præbent, per tres aut quatuor enim, imo sæpe usque ad septem dies sub summo calore sine omni prorsus potu oneribus onusta ambulare possunt, quod in calidissimis regionibus, ubi per plura milliaria, sæpe nulla gutta aquæ haberi nequit, maximi est ponderis. In terris frigidioribus minoris sunt utilitatis. Americanis adventum Europæorum ignota.

Camelus Bactrianus. Tuberculis in dorso duobus instructus est: Sylvestris Patriam agnoscit eandem ac proxime præcedens Asiam scilicet & Africam. Hic vero rarior illo, cursuque longe celebrior. Usum etiam eundem præbet; Magnatibus in primis arridet.

§. III.

Elephas Maximus. Elephant. Hujus si ponderosum corpus

corpus spectes, omnium primo loco eum ponendum esse judicares, nullum enim animal terrestre eum corporis magnitudine æquiparat, nedum superat. Præterea ingentis quoque est roboris, cujus rei documenta passim apud veteres memoriæ prodita existant. Patriam Asiam calidiorem & inprimis Africam agnoscunt Elephantum, Americæ vero sunt ignoti. Usus eorum antiquis temporibus in bellis fuit; cujus inventi gloria tota debetur Indis, unde ad reliquos populos paulatim propagatum per pauca secula duravit; Elephantum enim, qui ad Alexandrum usque, in sola India bellis inservierant, tum demum ab aliis gentibus in hunc eundem usum adhiberi cœperunt. Itaque inter Alexandri M. successores vix ullum prælium describitur nisi Elephantorum fiat mentio: Magistra autem rerum experientia palam fecit, Elephantos, ut in bellis quandoque plurimum conferunt ita etiam non raro obesse; sæpe enim hostium telis petiti, in suos convertuntur, illisque adeo plus damni quam hostibus inferunt. Invento autem pulvere pyrio in bellis nullius fere sunt usus, quippe licet nostris adhuc temporibus apud nonnullos Indiæ Orientalis Reges hunc in finem adhibeantur sæpe tamen in copiis eorum accidit, ut Elephantum, in quibus præcipua belli moles consistit, ignibus ex pyrobolis machinis excussis sic perturbentur, ut suos longe gravius quam hostes lædant. Mansueti nostro ævo vix alibi, quam apud Reges orientis & Africæ conspiciuntur.

§. IV.

Cervus Tarandus. Xhen. Lapponibus Samojedisque hoc animal proprium est, illisque multiplicem præbet utilitatem totamque fere eorum Oeconomiam & divitias constituit, præterquam enim quod ex carne illius exquisitissima

litissima sibi præparent fercula cuteque ejus contra vim frigoris optime sese muniant, etiam ad labores serviles præstandos illos asvescunt. In primis vero ad itinera facienda Cervi illis videntur esse nati, trahæ enim juncti, ea, mira quadam velocitate per loca maxima nive obducta absolvunt. In America septentrionali & Grönlandia maximi horum greges conspiciuntur feri, sed ab incolis minime mansvescunt, nec ullo labore servili ipsi inserviunt, contentis, venatu, occisorum carne & pellibus. Caterum regiones frigidæ amant hæc animalia, calidæ contra averfantur.

Cervus alces. ❧. Hoc animal in regionibus ad meridiem vergentibus non reperitur, septentrionalia autem Europæ & Americæ loca alcibus olim abundarunt, & adhuc hodie aliquid ex illis reliquum habent, quamquam fatendum est, eo jam cum illis apud nos ventum esse ut facile ad incitas possint redigi, nisi illorum conservatio illis quorum interest, posthac magisquam hætenus curæ cordique sit. Loca vero in quibus apud nos præ cæteris inveniuntur, sunt tam Ostro quam Vestrobotnia, Jämtlandia ditioque Tavastburgensis & Savolaxia. Non quidem constat hunc Alcen nostro ævo allicubi locorum mansvescunt equorum aut bonum vicem pensare, sed si quoddam aliud animal certe hoc ab omnium rerum Creatore huic fini videtur esse destinatum, præsertim in locis, quæ nivium pondere teguntur, quæque incredibili celeritate percurrunt. Olim tamen eorum quoque opera in Patria nostra haud fuit contemnenda quoad tabellaria seu publicos nuntios circumferendos, qui beneficio illorum brevi temporis intervallo ad loca remotissima sunt perlati, triginta enim & sex miliaria intra unius diei noctesque spatium percurrere posse dicuntur. Postea vero Gloriosissimus memoria

via CAROLUS IX uti traditur, usum eorum interdixit, ea inductus ratione, quod scelerati homines eorum ope fuga celere avolassent.

§. V.

Canis familiaris. Hund. Hic hominis comes & affecla assiduus, & fide in eum mira, ubivis fere locorum invenitur: vix ullam enim per totum orbem dari nationem crediderim quæ fidissimo hoc socio caret, nam remotissimæ & maximæ barbaræ gentes, licet omnibus animalibus mansuetis destituantur, servitio Canis tamen expertes esse nolunt. Hoc vero animal in septentrionali parte Chinæ præsertim in Tataria Chinensi, & septentrionali plaga Russiæ, nec non in Grönlandia, ad varias operas præstandas adhibetur, ut & ab Europæis regiones Americanas ad septentrionem spectantes inhabitantibus. In nonnullis Europæ etjam regionibus, quæ ad meridiem vergunt, incolæ inprimis pauperiores ejus ope sæpe aquam aliasque res sibi necessarias afferunt. Mos est in Russia septentrionali, nec non Tataria, duodecim, aut adhuc plures Canes trahæ jungere, quorum beneficio valde celeriter perficitur iter. Accidit vero interdum, ut hujusmodi trahæ juncti canes leporem quendam aut vulpem offendant, omnique nisu ejus vestigiis insistant, quo in traha sedenti sæpe maximum offerunt periculum. Nonnullis in locis licet canes operibus servilibus præstandis non adhibeantur carne tamen eorum vescuntur incolæ. Ipsi Chineses hoc minime spernunt. Et in regno Africa Angala caro canum in tantis deliciis habetur, præsertim si canis Europæ originem suam debet, ut pro uno ejusmodi cane duos homines

dederint; quid, quod exemplum adfertur, ibidem pro unico cane Europæo magno, beneque faginato, viginti homines seu mancipia persoluta fuisse: quam vilis & exigui pretii timidus ille homo habetur!

§. VI.

Camelus Glama. Hocce animali Peruenfes & incolæ Novæ Hispaniæ in America utuntur. Observari autem meretur, quod antequam Europæi ad Americam pervenissent, hoc & sequens animal solum fuere, ex quibus iis, qui Peru & Mexico inhabitant, servili eorum opera aliquid utilitatis redundavit. In reliquis autem Americæ partibus nullum animal huic usui adhibere sciebant, quamvis in septentrionali Americæ plaga, uti antea dictum est, magnam copiam indomitorum Cervorum, nec non Boum ex duobus diversis speciebus constantium, haberent. Camelus Glama eximii usus in locis asperis & montosis est, ad onera portanda, tam incolis, quam advenis. Imponitur autem ipsi, teste *Kajo*, communiter 150 Librarum onus, & quod robustius paulo est, 250 ferre non recusat. Si quando ultra modum hæc animalis fatigantur, fustibusque, aut alia servitute pelluntur, oneri succumbunt, nec ulla ratio, quo resurgant, compellendi ea reperitur, etiamsi percutiantur, vel ipsis festiculi, (quod ultimum est remedium) comprimantur: blanditiis itaque utatur, qui commodum ex ipsis capere desiderat. Vomitu hostem pellit, frigoris impatiens.

Camelus Pacos. Hic præcedente minor iisdem in locis ac is invenitur, tantis vero instructus non est viribus, ideoque nec æque idoneus ad opera servilia præstanda: oneribus tamen portandis etiam inservit. Ita lana abundat, observante F. Gregorio de Bolivar, ut in
solo

folo colle ac capite plus ejus habeat, quam tota nostra ovis, & maximam ejus proinde copiam ex toto corpore Indi & Hispani detondent. Eodem modo ac Camelus Glama, obstinatissimus est, si sub onere vexetur. Uterque ante inventam Indiam occidentalem veteri orbi prorsus ignoti; nec in Europa adhuc mansuefacti. Cum Camelus Pacos a locis frigidis non abhorreat, inque locis asperis & montosis præcipue versetur, credunt nonnulli animalia hæc in locis Europæ frigidioribus montosis alpiumque confiniis olim utilissima evasura, si modo copia illorum ex America obtineri queat. Atque hæc jam sufficiat de illis animalium generibus quæ opera sua servili communiter ministrant dixisse. Cæterum non dubitamus, quin multa alia animalia præter prædicta, humana industria ita aut domita esse, aut domari posse, ut in oneribus portandis alioque Labore præstando hominibus maximæ utilitati esse possent.

§. VII.

Felis Leo *Lejon*. Felis Tigris *Tiger*. Felis Pardus *Leopard* & Ursus Arctos *Björn*. Licet hæc animalia quorum jam injecimus mentionem, servilem suam operam communiter nobis non commodent, alto tamen silentio ea præterire nolimus, quia passim apud auctores legimus, hæc & varia alia jugo vulgo nunquam subdita animalia loco Equorum adhibita fuisse ab imperatoribus nonnullis, dum triumpho in urbem veherentur. Quamvis autem consultius ducendum sit ab hisce abstinere quam ea usurpare, hinc tamen luce meridiana clarius patet, quanta industria veteres in domandis ferocissimis etjam bestiis sunt versati. Utinam hinc discant nostrates Alcen suum jugo submittere, quod faciliore cum negotio & majori emolumento fieri posse nemo in ficias ibit.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.